



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

A sanctuario tribulatio incipiet. tit. 259

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

stolus 1. Timot. 5. Duplici honore digni sunt presbyteri, id est, reuerentia & prouisione. Sed adiungitur, qui benè præsent. Secundò, qui laborant in verbo & doctrina, sed iam est contrarium. Tertium peccatum est luxuriosa vita: quomodo enim docent honorabile coniugium, & quatenus Deus fornicatores & adulteros damnabit, qui ipsimet tales fuerunt, Heb. 13. Quoniam ergo sacerdotes, sacerdotes non sunt, nec esse volunt, & monachi, monachi non sunt, idè tolletur honor ab ipsis &c.

A SANCTUARIO TRI-

bulatio incipiet.

TITVLVS CCLIX.



Rimò, Prophetæ & quotquot loquuntur sunt de tribulatione Antichristi, quam faciet fidelibus, etiam hoc diligenter annotârunt, quòd talis primò incipiet à domo Dei, id est, cum illis qui sunt Ecclesiæ ministri. Subindè, cum pijs sanctis & fidelibus hominibus, illos permittet Deus ad tempus tribulari. Sic Ieremiæ 25. dicitur: Ecce ego incipio pœnam à metropoli, vbi nomen meum inuocatur, vbi sunt filij mei. & cap. 49. qui non meruerunt, vt bibant de calice, illos oportet bibere. Sic permittit Deus aduersarijs, Ezechiel. 9. Percutite, & à sanctuario meo incipite. & 1. Pet. 4. dicitur: Iam est tempus, vt iudicium Dei, id est, correctio incipiat à domo sua, &c. Sic permittit Deus occidi sanctos Apostolos, martyres, viros probos & iustos, vt Ioannes Baptista occiditur propter meretricem, Marci 6. Assatur Laurentius. Sic omnes Prophetæ lamentabiliter sunt occisi, 2. Tim. 3. Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem &c.

Secundò inquires: cur Deus permittit sic pios & innocentes torqueri? Respondeo, vt ceteri mali & non ut.

non credentes cogitent, quid tandem cum illis in futura vita fiet, si Deus hic sanctos suos permittit tribulari? & hoc dicit Petrus 1. Pet. 4. Si autem primum à nobis incipit tribulatio, quis erit finis eorum, qui non credunt Euangelio Dei? & si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi manebunt? Sic Christus Luc. 23. Si hæc in viridi ligno, id est, in me, &c. Sic pater corrigit peccatum, quod in maledictam & acerbissimam mortem proiecit eum, qui tamen non fuit aridū lignum, seu à vermibus corrosum, id est, peccator, sed sanctus filius Dei. In arido, id est, impoenitentibus & non credentibus hominibus, quid fiet? & Ierem. 25. Si primò puniuntur dilecti filij, id est, fideles: Vos qui non creditis & inimici estis, putatis, quomodo subterfugietis pœnam.

Tertiò, hæc nostra est consolatio, quoniam Deus non permittet hæc supra nos, vt ideò damnet, sed ne cum hoc mundo damnemur, 1. Corin. 11. At videant impij, qui gaudent de tribulatione clericorum, quæ erit ante diem nouissimum valdè magna & amara valdè, quando sectarij catholicos persequentur. At illorum damnatio & iudicium non tardabit, sic expelluntur de vrbibus & monasterijs catholici & pij homines, & subsannantur, sunt ludibrio omnibus intra & extra monasterium, sed non effugient ipsi manus Dei. Si ergo qui boni sunt, tribulantur: cogitent sic esse à Deo ordinatum, vt iudicium incipiat à domo Dei. Si autem mali, agant pœnitentiam, ne æterna mala illos apprehendant, &c.

*DE RVINA ECCLESIAE A
prima perfectione.*

TITVLVS CCLX.

Primò, plerique SS. patres pleni Spiritu sancto, sicut Vincentius, Methodius, &cæt. exponunt primam visionem Regis Nabuchodonosor de